



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Lancicii E Societate Iesv Opvscvlorvm Spiritvalivm
Tomvs ...**

Łęczycki, Mikołaj

Antverpiae, 1650

Ostaua causa quia ad Deum & eius Vicarios tantùm spectat alios iudicare
idque non temerè. Cap. IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78821)

nachus. qui totonderat eam, postquam satisfecit omnibus, tradidit Deo spiritum in pace. Idem inquit, dico vobis filij, ne precipites ad condemnanda & iudicanda sitis aliena. Multoties enim peccatum fornicationis vidimus: penitentiam verò eius, quam fecit occultè, non adspeximus. Et est, quia furtum facientem quemdam vidimus: suspiria verò & lacrymas quas produxit Deo, nescimus. Et nos quidem habemus eum, qualem vidimus illum, furem, aut fornicatorem, aut perurum: apud Deum verò recepta est occulta eius confessio & penitentia, & est ab ipso pretiosus. Omnes igitur admirabantur super doctrinam industrii pastoris huius atque magistri.

101. Cum S. Macedonius vir simplex, & qui nec diuini vacauerat eloquiis à Flauiano Episcopo ordinatus esset Episcopus, idque non aduertisset ipse, postquam id rescieuit, incessebat omnes maledictis & conuitiis, & accepto baculo quo ob senium innitebatur, ipsum persequeretur Pontificem & alios quotquot aderant, vt scribit B. Theodoretus in Relig. histor. sect. 13. vbi eius miracula & vitæ asperitatem recenset.

Immo non rarò cõtingit, vt serui Dei (quod tamen nobis sine Superiorum approbatione faciendum non est, quia id vetatur Regul. 11. Summ.) datâ operâ ex peculiari diuino instinctu, quædam exteriùs præferant, quæ tamen in se considerata, verè vitia non sunt, plerumque tamen in imperfectis cerni solent, vt ita pro imperfectis habeantur, & magna Dei dona in se celent studio humilitatis. Talis erat admirabilis ille S. Salo, à quo tot res ridiculas hoc sine gestas esse scimus, multis tamen miraculis comprobata eius sanctimoniam diuinitus nouimus.

102. Talis erat S. Philippus Neri, qui vti audiui in concione publica, quam in eius Annuario habuit Cardinalis Baronius huius Sancti Confessarius, stimulabat iracundiam & signa exardescenti animi quandoque prodebat, vt pro iracundo haberetur. Ideoque idem Sanctus vitæ sepe suis illud inculcabat: Qui vult inter vos sapiens esse, stultus fiat. Noui & ego in Societate aliquos, qui vt magnam opinionem in qua apud alios erant, eorum ex animis euellerent, nec pro Sanctis, (vti habebantur) haberentur, quædam faciebant, verè in se non mala, tamen à malignis condemnari solita: vt sunt conuersatio iucundior, risus facilis, longior ad mensam accubitus, & his similia.

103. Abbas Agathon moriturus dixit fratribus ser. 2. apud S. Dorotheum: Longè aliud est, iudicium Dei atque hominum, quæ etiam verba P. Io. Piscator noster morti proximus dixit. Ideo ne feramus malum de vilo ex exterioribus rebus iudicium.

CAPVT OCTAVVM.

Septima causa vitandorum temerarium iudiciorum est

104. **Q**Via plura in nobis mala videmus, saltem videre deberemus, quàm in aliis, ideo nos potius quàm alios condemnare deberemus. Hanc ipsam causam Christus adfert Mat. 7. & Luc. 6. ad vitanda iudicia. Quid, inquit, vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides: aut quomodo dicis fratri tuo sine, ecce festucam de oculo tuo, & ecce trabis est in oculo tuo? Hypocrita, eice primò trabem de oculo tuo, & tunc videbis eicere festucam de oculo fratris tui. Comparauit, inquit S. Dorotheus serm. 6. proximi peccatum festuce, iudicium verò trabi, vsque adeò graue & insuauè est proximum iudicare, vt serè omne peccatum excedat.

Sanè ita est, plura de nobis ipsis reprehensione digna scimus, & quidem certam non sic de aliis: quare si defectuum nostrorum seueri esse-mus censores, alienis non attenderemus. Nam vt rectè ait S. Gregorius Papa lib. 5. moral. c. 30. Considera in infirmitas propria, mala nobis excusat aliena. Sed contrarium euenit. Vagare enim oculum, inquit S. Chrysologus serm. 139. Sna casu ad crimina, ad aliena errata perlucet malorum suorum nocentius, alienorum est accusator & testis. Aspiciamus ergo nos, & priùs mala nostra eiciamus quod dum fecerimus, & omnino sine vilo defectu fuerimus, tunc incurtere licebit in nauos alienos, sed quia nos ipsi sine his nunquam erimus, ideo ab alienis taxandis abstineamus. Hoc est quod monet S. Bonauentura in Reg. Nouitiorum cap. 12. Quando vides defectum fratris, antequam iudices, vide an in te sit simile quid vel aquiualens, & eo relicto, se condemna vt malum. Quam ad rem facit monitum S. Ioannis Chrysolomi li. 45. ad pop. Constitue super conscientia iudicantem rationem, & in medium omnia tibi patrata proponit: anima tua peccata scrutare, & penas exige diligenter. Et dic. Cur hoc & hoc ausa es? Et, si hoc quidem fugiat, aliena verò discutias, dic ad eam: Non de his te iudico, non pro his venisti te purgatura. Quid enim si ille malus? Quare tu hoc & hoc admisisisti? Respondet: Noli accusare: tua consideres non aliena.

CAPVT NONVM.

Octaua causa fugiendorum iudiciorum temerarium est

105. **Q**Via iudicare alios & de aliis, ad Deum tantùm eiusque Vicarios spectat: ideo Apostolus, cum ad Rom. 14. v. 3. dixisset: Is qui manducas (scilicet gentilis conuersus, manducans cibos Iudæis per Moysen veritos, quod Iudæos etiam conuersos pñendebat, nondum plant

planè purgatos à ritibus Mosaicis, coniuventibus ita Apostolis, ne aliqui à Christiana fide desciscerent non manducantem non spernat: & qui non manducat (scilicet Iudæus) manducantem non iudicat. Subdit causam v. 4. Tu quis es qui iudicas alienum seruum: quasi dicat: ad Deum, qui est Dominus omnium hoc spectat.

106. S. Basilii ser. de abdic. rerum. Si multi, inquit, multis in rebus errata commiserint parua aque ac magna, in iisq; obstinati pertinaciter perseuerent, nolito tu alienorum te erratorum iudicem constituere: habent enim ipsi iudicem iustum, qui reddet unicuique secundum opera sua. Displicet Deo si quis usurpet sibi quod Dei est: vnde ut in Vitis Patrum scribitur, cum quidam temerè iudicasset fratrem, cælitus ea vox audita est: Homines in mea iudicia se intruserunt, & iurisdictionem alienam: Et de Abate Isaac ibidem scribitur; quod cum quandam Congregationem ingressus, quendam ut imperfectum iudicasset, ad cellam rediens, inuenit Angelum, aditum ad cellam præcludentem, à quo causam sciscitatus impediti ingressus, hæc audiuit: Deus misit me ad te, vt decernas, quo velis cum proici Monachum, quem iudicasti & condemnasti: quo audio, rubore persusus veniam petit: tunc Angelus pepercit hoc tibi Deus, in posterum neminem iudica. Deo id relinque.

107. Est constitutus iudex peccatori, inquit S. Chryostomus hom. 43. in Mat. noli tu dignitatem vnigeniti, temerario impetu rapere, illi iudicij sedes ac solium conseruatur. Et Deus ipse dixit S. Catharinæ Senensi in dial. c. 102. Iudicare intentiones & mentes creaturarum habentium in se rationem, est hoc absoluè solummodò meum.

CAPVT DECIMVM.

Nona causa vitandorum iudiciorum est.

108. **Q**uia qui temeraria iudicia fugiunt, & omnia in bonam partem interpretantur, Domino placent quia sibi attendentes, non ferunt sinistra de aliis iudicia. Qui solliciti sunt ac studiosi, inquit S. Climacus gradu 4. Seplos cautissimè attendunt, ne, dum negligentiores quosque iudicant, seuerius quàm illi condemnentur. Idcirco enim, vt reor, iustificatus est Loth, qui cum in flagitiorum medio versaretur, nunquam illos penitus iudicasse deprehensus est. Declarauit hoc non semel miraculosis argumentis Deus.

Refert Baronius Anno Christi 599. partem concionis de synaxi S. Anastasij Sinaitæ Patriarchæ Antiochæ, quâ excitans Auditores vt condonarent iniucem illatas iniurias, id persuadere conatus est tali exemplo, de monacho quodam, qui negligentè in statu suo viuens, & segniter otio vacans, cum morti esset proximus, valdè lætè moriebatur, nihil metuens: fratribus dicentibus, vnde tanta proficisceretur

Lancij Opus. Tom. 2.

securitas, scimus te negligentè in deuotione vixisse; respondit verum esse Patres; sed Angelus hac horâ mihi mea peccata descripta ostendit; ego perterritus dixi: ab eo tempore, quo mundû reliqui, & Religiosus factus sum, nullum iudicavi, & omnis iniuriæ, quæ mihi inferebatur, obliuiscabar, & rogo vt verificentur verba Domini: Nolite iudicare, & non iudicabimini, dimittite, & demitteretur vobis. Hoc quam primum dixi, illum catalogum meorum peccatorum Angelus lacerauit, ideoque cum lætitia eo ad Dominum meum: & hoc dicto, spiritum Deo reddidit, relicta magnâ edificatione in Auditoribus.

In Chron. minor. 1. p. lib. 6. c. 9. Frater Leo & Rufinus viderunt processione magnâ Sanctorum Ord. Minor. & in ea vnum præ cæteris gloria maiore præditum, radios sole clariores ex oculis emittentem. Querit quis esset, responsum est, esse Bernardum de Quintraualle primum S. Francisci socium, cuius oculi ita erant splendentes, quia omnia quæ videbat in meliorem partem conuertebat, si videbat medicum, dicebat iste est pauperior me, si benè vestitum; iste fortè cilicium sub serico portat &c. & hanc ob causam illâ gloriâ ornatus est.

B. Maria Magdalena de Pazzis, vt scribit P. Virgilius Ceparius in eius vita c. 24. vidit quendam Monialem per 16. dies fuisse in purgatorio ob certas causas; sed ob tres virtutes fuisse minutas illas pœnas. Primò, ob sollicitam curam, quam semper habuit conseruandi puritatem & simplicitatem suæ Religionis. Secundò ob magnam charitatem, quam omnibus monialibus exhibebat. Tertio, quia semper omnia in bonam partem trahebat, & benè interpretabatur.

Deus S. Catharinæ Senensi inter media perueniendi ad animæ puritatem secundum medium dedit in dial. c. 100. neminem iudicare. Vt, inquit, attingere possis ad vnionem atque puritatem istam, nunquam iudices in aliqua re quam videris ab aliquo fieri siue dici contra te siue contra alium. Esi videres etiam peccatum expressum, extrahas ab ista spina rosam odoriferam, videlicet eos offerendo coram me per veram & fraternam compassionem, & isto modo peruenies ad puritatem perfectam. En quomodo placeant Deo qui fugiunt iudicia temeraria. Et c. 103. Et hoc, & aliud iudicium mihi relinquatis, quia meum est, & non vestrum. Et c. 105. Tu & alij compassionem habere debetis, iudicium vero mihi relinquatis. Nec mirum est tales Deo piacere qui est Sapiencia increata, quia videt in iis Sapienciam quæ desultum est, quæ vt describit S. Iacobus c. 3. v. 17, est non iudicans, scilicet aliena dicta & facta.